



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio prima. Vtrum latria sit virtus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

aduenientia fuit q̄ paternitas & filiatio fundatur super tale ius, & super talem subiectionē. Nec obstat quod dicitur q̄ natura potest dici genita, nata vel serua, nunq̄ tamē dicitur filia, quia hoc non est propriē propter hoc q̄ filiatio immediatius inest supposito quam alia, sed quia filius vel filia magis accedit ad naturā substantiui q̄ esse narum vel genitū quā purē denominatiuē accipiuntur. Nam si denominatiuē acciperemus filiatum & quē propriē posset dici natura filiatā, si hoc vsus haberet sicut dicitur genita vel nara. Et per hoc responsum est ad quartam rationem primę opinionis.

17 Tertius modus tenet mediā viam, & est talis q̄ filiatio potest dupliciter accipi. Vno modo vt relatio tantū. Alio modo vt proprietates personalis. Si accipitur vt relatio solum sic necesse est q̄ in Christo præter filiationē qua refertur ad patrem sit alia filiatio qua refertur ad matrem quā sit æquē realis sicut quilibet filiatio in creaturis. Si vero accipitur filiatio nō solum vt relatio, sed vt proprietates personalis, sic in Christo nō potest esse nisi vna filiatio. Primū patet sic, vbi cūq̄ producens & productū incedunt in eundem ordinē, & maxime in idem secundū speciem, si vnum refertur realiter, & reliquum, sicut declaratum fuit in primo libro, sed Christus secundum humanā naturā & beata Virgo incidit in eundem naturę ordinē, ergo si maternitas est relatio realis in matre necesse est q̄ filiatio sit realis relatio in filio. Secundum patet sic, vbi est vna persona solum siue vnū suppositum, ibi nō potest esse nisi vnū formale constitutum suppositi siue personę, sed in Christo non est nisi vna persona siue vnū suppositum, ergo in Christo non potest esse nisi proprietates personalis quę est constitutiua personę siue suppositi, ergo filiatio prout est proprietates personalis non est nisi vna tantum in Christo, & istud tenendum est, & secundum hanc intentionem prima opinio continet veritatem, alias non.

18 Ad Rationes vtriusque partis respondendum est duæ enim primę solum probant quod in Christo rationem naturę humanę est noua filiatio prout dicit relatio nem quod concessum est.

19 Ad Primam rationem alterius partis dicendum est: quod duo accidentia eiusdem speciei possunt bene esse in eodē supposito secundū aliam & aliā partē, & eodē modo duæ relationes eiusdem speciei possunt esse in eodē supposito secundū aliud & aliud fundamentum, & sic est de duabus filiationibus in Christo. Minor etiā est falsa, quia filiatio æterna & temporalis non sunt eiusdem speciei, imō differunt genere.

20 Ad secundum dicendum quod non sequitur Christus habet duas filiationes, ergo est duo filii, nisi esset vtrę proprietates personalis, tunc enim eis multipliciter multiplicaretur suppositū filii aliis non, sicut non sequitur, iste habet duas scientias, ergo est duo scientes, vel iste habet plures relationes, ergo est plura relata.

Sententia huius distinctionis. I X.  
in generali & speciali.

**P**raterea inuestigari oportet. Superius determinauit Magister quid cōueniat diuine naturę ex vnione ad humanā. Hic determinat quid cōueniat naturę humanę ex vnione ad diuinā. Et diuiditur in duas. Primo inquirat an natura humana sit in Christo adoratiōe latrię adoranda. Secundo determinat veritatem ibi, idēq̄ quibusdam videtur. Hęc secunda diuiditur in duas opiniones quas ponit. Secunda ibi, aliis autem. Hęc in tres. Primo ponit opinionē. Secundo respondet ad obiectionē factā, nec qui facit. Tertio solutionē confirmat, de hoc Ioan. Damasc. Hęc est diuisio &c.

1 IN speciali sic procedit, & primo proponit quæstionem, vtrū natura humana in Christo debeat adorari eadem adoratione cum verbo cui est vnita. Et ostendit q̄ non, quia nullus cultus debetur creatori debetur creaturę exhiberi, sed cultus latrię debetur creatori, ergo &c. Et respondet Magister quod secundum quosdā verum est q̄ non eadem adoratione natura humana in ipso debeat adorari cum verbo, est tamē natura humana in verbo veneranda præ cæteris creaturis, nō tamen honor deitati debetur ei attribuitur, qui quidē cultus consistit in amore, & cordis dilectione, & bonorum corporalium, & tempo-

rum exhibitione, & omnimoda reuerentia. Deinde ponit aliam opinionē. Tertio respondet, & dicit adorandam esse naturā humanam cū verbo qui est vnita considerādo ipsam vt est verbo vnita, & non vt separata. Postea dicit q̄ qui sic facit non peccat, quia ei nō exhibetur talis adoratio, vt creaturę rationali, sed vt diuinitati est vnita in persona. Vltimo cōfirmat hanc opinionē auctoritate Aug. & Dam. sicut patet in litera, &c.

QVÆSTIO PRIMA.  
Vtrum latria sit virtus.

**C**irca distinctionē istam queritur de duobus. Primum de latria. Secundo de dulia. Circa latriam queruntur duo. Primum est vtrum sit virtus. Secundum est cui sit exhibenda. Quantum ad primum videtur q̄ latria non sit virtus, quia omnis virtus est intellectualis, moralis vel theologica, sed latria non est aliqua harum, ergo non est virtus. Minor probatur. Primo q̄ non sit virtus intellectualis, quia perfectio virtutis intellectualis attenditur quantum ad considerationem veri, sed perfectio latrię in hoc non consistit, sed potius in exhibitione cultus Deo debiti, ergo non est intellectualis. Item nec moralis, quia moralis virtus tenet mediū inter superfluum & diminutum, sed nullus potest deum superflue colere, secundum illud Ecclē. 43. benedicentes dominum exaltate eum, quantum potestis: maior est enim omni laude, ergo latria cuius est deū colere nō est virtus moralis. Nec theologica, quia illę sunt tantū tres, fides, spes, charitas, igitur &c.

2 Item actus virtutū saltem moralium sunt de dictamine rationis naturalis, sed actus latrię nō sunt de dictamine rationis naturalis, ergo nō est virtus saltem moralis. Maior patet per illud quod dicitur. 2. Ethic. Innatis quidē nobis suscipere eas, perfectis autē per assuetudinem. Minor patet, quia actus latrię est ceremonias Deo offerre, secundum illud quod dicit Tullius. 2. Rethoricę, q̄ religio quā nos latria dicimus est quę naturę (quā diuinam vocant) cultū ceremoniamq̄ offerre: ceremonialia autē nō sunt de dictamine rationis naturalis, quare &c.

3 IN CONTRARIUM arguitur, quia præcepta legis sunt de actibus virtutum, intentio enim legislatoris est homines inducere ad virtutem, vt dicitur. 2. Ethic. Sed actus latrię lege præcipiuntur per prima præcepta decalogi, ergo latria est virtus.

4 Ad idem est dictum Tullij qui religionem seu latriam ponit partem iustitię.

5 R E S P O N S I O. Videndū est, primo quid importatur nomine latrię, quo viso soluetur quæstio.

6 Quantum ad primū sciendum est, q̄ latria est seruitus seu cultus qui deo impenditur, in recognitionē vniuersalis dominij, quia fecit seu creauit nos, & hoc dicit beatus Aug. lib. 12. de Ciuit. dei cap. 4. cui concordat quædā glossa super illo verbo Psal. Domine deus meus in te speraui, quę dicit Deus per creationē cui debetur latria, nec aliter possumus probare significatum vocabuli nisi ex vsu communi. Hęc autem seruitus seu cultus tripliciter sumitur. Vno modo pro eo quod in cultum diuinum exhibetur sicut sacrificia, genuflexiones, orationes, quandoq̄ ipsa exhibitione, quandoq̄ pro habitu quo aliquis inclinatur ad talia exhibenda.

7 Relictis ergo duobus primis modis, de quibus constat q̄ non sunt virtutes cum sint actus, & nō habitus, & sumendo latriam tertio modo, dicēda sunt tria. Primum est q̄ ipsa est virtus. Secundum est quod ipsa est moralis, non theologica. Tertium est q̄ inter morales ipsa reducitur ad iustitiā. Primum patet sic, Omnis actus procedens ab electione, & cadēs super debitam materiam cum debitis circumstantiis est actus virtutis, sed actus latrię est huiusmodi, igitur ipsa est virtus. Maior patet ex. 2. Ethic. Minor declaratur, quia actus latrię procedit ex electione qua quis eligit exhibere Deo aliquem cultū, cadit etiam super debitam materiam siue exhibendo sacrificia, siue genuflexiones, siue orationes vocales, siue mentales, quia omnia debemus in reuerentiā diuinam ordinare, potest etiam hic actus vestiri debitis circumstantiis finis, loci, & temporis, ergo &c.

8 Secundum patet, scilicet q̄ non est virtus theologica, sed moralis, quia ois virtus theologica habet deū pro-

immediato obiecto, vt patet de Fide, spe, & Chritate. Per Fidem enim immediatē credimus Deum, vel in Deum. Per Spem semper speramus in ipsum. Per Charitatem diligimus ipsum. Sed latria nō habet deum pro immediato obiecto, quāuis habeat ipsum pro fine, obiectum enim latriæ est obsequium quod Deo exhibetur, & nō ipse Deus, ergo latria non est virtus theologica. veruntamen quia virtus cuius actus est immediatē circa finē, imperat virtutibus quæ ordinantur ad finē (quia ex fine sumitur ratio eorum quæ sunt ad finem) ideo virtutes theologice quæ habent finem (scilicet Deum) pro obiecto imperat actus latriæ quæ est de his quæ ordinantur ad Deum sicut ad finem: & sic loquitur beatus Aug. in Enchiridio dicens, quod Deus colitur Fide, Spe, & Charitate.

9 Tertium patet, scilicet quod inter virtutes morales reducit ad iustitiā, quia omnis virtus moralis quæ ordinat hominē ad alterum in ratione debiti pertinet ad iustitiā, sed latria ordinat hominē ad Deum in ratione debiti, quia per eam exhibetur cultus Deo debitus, ergo latria pertinet ad iustitiā. Maior patet, quia nulla virtus moralis præter iustitiā ordinat hominē ad alterum, sed ad seipsum tantum, vt temperantia, aut si ordinat vt fortē libera litas non tamen in ratione debiti, illud enim quod dat liberalis nō redditur ex debito, sed confertur ex gratia, alioquin nō esset liberalis donatio, sola enim iustitiā respicit debitum. Minor de se patet. Sequitur ergo conclusio quod latria reducit ad virtutem iustitiæ.

10 Aduertendum est tamen quod sicut iustitiā simpliciter & propriē dicta nō est inter dominum & seruū, patrē & filium, vt habetur, 3. Ethic. sed solū inter illos qui sunt nati regulari eadem lege, esse sub eodem principe, qui secundū legem constituit æqualitatē inter eos, sic latria quæ est hominis ad deum sicut serui ad dominum, nō est propriē iustitiā, sed secundum quādam similitudinē secundum quod seruus reddit pro possibilitate quod debet domino, licet nō reddat æquale. & sic loquitur Philosophus, 7. Ethic. vbi dicit quod nō in omnibus reddendum est quod est secundū dignitatem, hoc est æquale, quia in his quæ ad deos & parentes sunt honoribus, nullus aliquando secundum dignitatem tribuit, secundum potentiam autem famulans iustus esse videtur, vnde in talibus non est iustitiā simpliciter, sed iustum dominatum seu paternum.

11 Ad primum arg. dicendum, quod latria non est virtus intellectualis, nec theologica, sed moralis, & cum dicitur quod non, quia nō ponit medium inter superfluum & diminutum. Dicendum quod imō, sed superfluum & diminutum nō semper accipiuntur secundum quantitatem rei, cum magnanimitas sit circa maximos honores, & magnificentia circa maximos sumptus, sed accipiuntur in cōparatione ad rationem rectā, vt fiat sicut debet fieri, quātum ad omnes circumstantias, & sic in colendo deum potest esse superfluum, nō secundum quātitatem rei quasi plus deo exhibetur quod ei debetur, sed quia tantus cultus potest exhiberi quod esset contra rationem ex parte facientis: quia esset corruptius subiecti, puta excessiuum ieiunium, vel vigilię vel quodcūque aliud tale, contra quod dicit Apost. Ro. 12. Rationabile sit obsequium vestrū. Et similiter potest esse secundum alias circumstantias.

12 Ad secundū dicendū, quod de dictamine rationis naturalis est, quod homo faciat aliqua ad reuerentiā diuinā, & alia exhibeat in recognitionē seruitutis deo debita, sicut feudarius reddit aliquid domino suo in recognitionem dominū sui. Et istud pertinet ad virtutē latrię, determinate autem illa quæ debemus deo exhibere nō est de dictamine rationis naturalis, sed de institutione iuris diuini vel humani, quibus determinatis latria virtus eis pro materia.

#### QUESTIO SECUNDA. Vtrum latria sit soli Deo exhibenda.

Thom. 3. q. 25. c. 2. 2. q. 84.

Secundo queritur vtrum latria sit soli deo exhibenda. Et arguitur quod non, quia nō minor honor debetur matri quam filio, sed æqualis vel maior, cum secundum præceptū dominicum filius teneatur honorare matrem, & nō econuerso: sed beata Virgo est mater Dei, ergo sibi debetur æqualis honor latriæ sicut Deo.

Item caro Christi nec est Deus, nec deitas, & tamen

adoratur adoratione latriæ secundum Dam. lib. 3. c. 8. vbi dicit sic, vnus est Christus, Deus perfectus, & homo perfectus quem adoramus cū patre & filio, & sancto spiritu vna adoratione, cū in cōaminata carne eius, ergo honor latriæ debetur carni Christi, & non solum deitati.

3 Item illud adoratur adoratione latriæ, in quo ponitur spes salutis, sed in cruce ponitur spes salutis cum canet ecclesia, O crux aue spes vnica, ergo ipsa adoratur adoratione latriæ.

4 Item secundum Basiliū honor imaginis refertur ad prothotypum, hoc est, exemplar, sed Christus adoratur adoratione latriæ, ergo & imago Christi, sed imago Christi nō est imago dei inquantum Deus, quia nulla est imago dei, secundum deitatem, ergo non soli Deo debetur latria.

5 IN CONTRARIUM arguitur, quia latria debetur creatori ratione creationis, sed solus Deus ratione diuinitatis est creator, ergo soli deo ratione diuinitatis debetur latria.

6 RESPONSIO. Circa quæstionē istam videnda sunt duo. Primo videndū est, cui exhibenda sit latria, secundum quæ, quibus actibus sit exhibenda.

7 Quantum ad primum sciendū quod honor latriæ, vel cuiuscūque alterius reuerentię potest exhiberi alicui dupliciter, scilicet per se, & per accidens. Per se exhibetur illi in quo est causa talis honoris, per accidens autē exhibetur, in quo non est causa talis honoris, sed habet aliquā habitudinē ad illud, in quo est causa. In eo etiam cui debetur honor per se, est duo considerare, scilicet illum cui honor debetur, & causam honoris, ille cui honor debetur est suppositum subsistens. Propriē enim & per se honor debetur rei subsistenti, & nō parti. Non enim dicimus quod pes papę, vel manus episcopi dñi a quoquā ofculantur, honorantur, sed papa vel episcopus in huiusmodi partibus. Per quæ etiā modum aliquis potest honorari in aliquo exteriori, pura in veste, vel imagine, vel in nūcio. Causa enī honoris est illud ex quo ille qui honoratur habet aliquam excellentiam personę. His suppositis dicendum est quod honor latrię debetur per se soli deo ratione diuinitatis, per accidens autem debetur aliis. Primum patet, quia illi per se debetur aliquis honor, in quo est per se causa illius honoris, sed in solo Deo ratione deitatis est per se causa honoris latrię, ergo solus Deus ratione deitatis est honore latrię honorandus. Maior patet ex dictis. Minor similiter manifesta est, quia honor latrię debetur creatori iure creationis, create autem cōpetit deo ratione diuinitatis, quare &c. Secundū patet, quod solus debetur honor latrię per accidens. Sed aduertendum est, primo quod aliquis potest habere habitudinē ad deum cui per se debetur honor latrię dupliciter. Vno modo, quia incidit in idem, secundum suppositum, sicut est humanitas Christi. Alio modo, quia nō tendit in idem, secundum suppositū, sed habet solam habitudinē extrinsecam ad Christū vt matrem, crux & imago. Primo modo adoratur humanitas Christi per accidens adoratione latriæ, quia quando suppositū per se honoratur, honoratur per accidens quicquid est in supposito. Sed filius Dei adoratur adoratione latriæ per se, ergo humanitas Christi per accidens honoratur eadē ratione. Dico autem per accidens, quia nec ipsa humanitas est propriē illud quod adoratur cū nō sit suppositū subsistens, nec est causa seu ratio talis adorationis quāuis sit causa cuiusdā alterius adorationis, scilicet hyperdulie quæ debetur Christo ratione humanitatis nature, de qua postea dicetur.

8 De illis autē quæ habent solam extrinsecam habitudinē ad deum hoc generaliter tenendū est, quod si confiderentur secundum se, sic aut eis nō debetur aliquis honor puta cruci vel imagini, & ceteris rebus inanimatis. Aut si debetur (sicut beate Virgini) nunquā tamen debetur eis honor latriæ, cuius ratio est, quia honor latriæ debetur soli excellentiæ diuine, sed talia secundum se cōsiderata, aut nullā excellentiā habent vt inanimata, aut si habēt, illa tamen est infra excellentiā diuinā, quare isto modo nō debetur eis honor latrię. Si autē considerentur secundum habitudinē quam habent ad deū, sic dicitur cōmuniter quod debetur eis idem honor qui & deo, quia sicut dicit Philo. lib. de memoria & reminiscētia, duplex est motus anime in imaginē, vnus secundū quod ipsa est quædam res. Alius

Th. 3. q. 25.  
ar. 3. in corp.